



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrùm substantia & accidens ponantur prædicamento in
abstracto, vel in concreto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

numero denario concluderunt propter rationes supradictas.

136 Ad illud autem quod solet opponi, cur scilicet sint novem prædicamenta accidentium, cum tantum sit vnum substantiæ?

137 Respondeo cum communi Doctorum id non esse mirum, magis enim multiplicatur accidentia, quam essentia rerum quæ substantiæ dicuntur; nam vni substantiæ correspondent quam plurima accidentia in ipsaque plura, ac varia inveniuntur accidentia. Præterea, quia in substantia vt sic est vnus modus efficiendi, & denominandi primam substantiam, nempe in quid, in accidentibus autem est multiplex, & ideo æquum est vt sit vnum prædicamentum substantiæ, accidentium vero plura.

138 Ad illam rationem à priori nego quod modus contractionis, vel determinationis entis completi, aut accidentis completi ad suprema capita prædicamentorum non sit per veram compositionem cum differentiis quæ possunt esse extra rationem generis, certe enim ens completum, & accidens completum descendit ad prædicamenta sine transcendentia in differentiis eorum, vt patet ex supradictis, ac proinde talis descensus est per veram contractionem, & compositionem, quia inferiora addunt supra ens, & accidens completum veras, & proprias differentias distinctione excludentis ab exclusio distinctas; unde talia superiora prædicata vere descendunt vt generaliter ens vt sic, & accidens vt sic provt abstrahit à completo, & incompleto taliter non descendant, siquidem transcendunt differentias ultimas inferiorum; quapropter ex eo solum, quod ens vt sic, & accidens vt sic non contrahantur ad suprema capita prædicamentorum per veram contractionem, & compositionem metaphysicam, non ideo debet negari talis contractio, & compositio de ente completo, & accidente completo, ac per consequens debet concedi illis ratio generis.

139 Ad tertium, primo nego maiorem vt patet ex dictis in metaphysica, secundo demus maiorem, & concedamus minorem simul cum consequentia illius primi syllogismi; nego tamen absolute secundam minorem, nam inter ens, & decem prædicamenta mediant ens completum, & accidens completum vt patet ex dictis.

140 Ad vltimum contra, nego quod ens sit analogum, & idem dicimus de accidente vt sic intrinseco respectu suorum inferiorum.



QVÆSTIO III.

Vtrum substantia, & accidens ponantur in prædicamento in abstracto vel in concreto.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA Sententia asserit substantiam in abstracto non poni directe, sed solum indirecte in prædicamento, huius sententia Patronus est P. Suarez in metaphysica, tom. 2.

disposit. 34. sect. 8. num. 12. vbi his verbis propriam mentem profert; cetera vero omnia quæ primam aut secundam substantiam componunt physice, aut metaphysice revocantur ad prædicamentum substantiæ, non tamen constituuntur in recta linea; ratio huius est, quia non sunt completa substantiæ (& paulo post) huiusmodi autem sunt imprimis ipsæ naturæ substantiales, provt in abstracto significantur, & concipiuntur; nam licet hæc possint inter se concipi cum subordinatione, & quasi constituendo suam lineam proportionatam illi, quæ ex primis, & secundis substantijs constituitur (sic enim concipitur hæc humanitas, & supra illam humanitas, & supra hanc naturam animalis, vsque ad substantialem naturam) tamen tota hæc linea, & series est secundum quid substantia, & ideo tantum secundum quid, seu per reductionem pertinet ad illud prædicamentum, & vnumquodque ex illis abstractis ad suum proportionale concretum revocatur, id est, hæc humanitas ad hunc hominem, humanitas ad hominem, & sic de reliquis. Unde consequenter fit vt alterum etiam extremum huius compositionis, scilicet substantia vel singulariter, vel vniuersè concepta non possit directe in hoc prædicamento collocari, quia multo minus est completa substantia quam ipsa natura, reducit tamen ad eadem composita cum prædicta proportionem, nam componentia ipsa ad suum compositum revocanda sunt. Atque idem iudicium est de partibus essentialibus substantiæ compositæ, quales sunt materia, & forma, in quibus etiam potest intellectus suas lineas constituere, & maxime informis, quas possumus vel in individuo concipere, vel in specie, & à formis specie diversis possumus etiam conceptum genericum abstrahere, qualis est conceptus formæ elementaris, vel animæ sensitivæ, & in materia potest facile aliquid simile excogitari, præcipue si verum est dari materias specie diversas, quas in generica ratione materiæ convenire necesse est; verum tamen tota hæc coordinatio est secundum quid, & per reductionem respectu prædicamenti substantiæ, quia nec materia nec forma est completa substantia, neque individua earum sunt primæ substantiæ, aut hoc aliquid vt sumitur etiam ex Aristotele 2. de anima, cap. 1. & 7. metaphysica, cap. 3. sic P. Suarez, eandem sententiam sequuntur Cerna, Rubius, Sanchez, Balera, & alij, & probatur.

Primo, quia si in prædicamento ponantur substantiæ abstractæ, erunt duo prædicamenta substantiæ, sed hoc est absurdum, cum solum sit vnum tale prædicamentum; ergo non ponuntur substantiæ abstractæ in prædicamento; maior probatur, supponendo quod prædicamentum substantiæ sit ex concretis, vt ex homine, animali, &c. quo supposito sic argumentor, quia prædicamentum est prædicabile coordinatio, sed non possunt vnica coordinatione coordinari abstracta, & concreta; ergo nec possunt vnum prædicamentum constituere, quod si constituunt illud, diversum erit à prædicamento concretorum; unde vnum concretum, & alterum abstractum duo erunt sine dubio, quia vnum, & vnum duo sunt.

Secundo, quia prædicamentum est coordinatio generum, & specierum, sed abstracta non possunt esse genera, & species; ergo ex abstractis non potest coordinari prædicamentum; minor sic probatur, quia abstractum superius vt animalitas, quæ

est genericum abstractum non predicatur de specificis, ut de humanitate, & equitate, sed quod non predicatur de pluribus differentibus specie non potest esse genus: ergo abstracta non sunt generabilia nec sunt species: ergo.

4 Secunda sententia ait solum concreta accidentium poni directe in predicamento, quæ sic probatur.

5 Primo, predicamenta accidentium distinguuntur penes diversum modum predicandi de substantia: sed accidentia non predicantur de substantia nisi in concreto: ergo.

6 Secundo, quia accidentia debent collocari in predicamento secundum illud nomen, quod magis explicat eius naturam; sed huiusmodi est concretum solum: ergo solum, &c. Probatur minor, concretum accidentis semper est denominativum; sed denominativum solum proprie significat naturam accidentis quatenus adiacet subiecto, quod est proprium accidentis: ergo accidentia in concreto solum ponuntur in predicamento, & non in abstracto.

7 Tertia sententia asserit solum abstracta accidentium, non concreta poni directe in predicamento, & probatur sic, illud ponitur in predicamento quod est ens per se, & non per accidens: sed concreta accidentium cum dicant compositionem diversarum naturarum completarum sunt entia per accidens, & solum abstracta sunt entia per se: ergo sola hæc, & non illa ponuntur in predicamento.

SECTIO II.

Prima Conclusio ostenditur.

8 **P**rima conclusio: abstracta substantialia ut humanitas, & animalitas ponuntur directe in predicamento; sic communiter peritiores neotrici, & probatur.

9 Primo, quia illud ponitur directe, & per se in predicamento quod est ens reale per se, & completum essentialiter: sed abstracta substantialia ut animalitas, & humanitas sunt huiusmodi: ergo sunt directe in predicamento collocanda; maior est evidens ex conditionibus omnibus, quæ à communi Doctorum consensu solent requiri, ut res in predicamento collocentur; quod autem essentialiter debeant esse completa quæ collocantur in predicamento sic patet, quia ideo non ponitur existentia in predicamento, quia non est complementum essentialiter respectu rerum. Item homo truncus sine manibus, & pedibus potest poni in predicamento, quia licet non haberet manus, aut pedes, cum tamen tunc esset essentialiter completus, sufficeret ad hoc ut poneretur in predicamento, quia manus, & pedes non sunt de complemento essentiali hominis. Evidentius confirmatur, nam ad demonstrandum metaphysica solum agit in predicamento de rebus secundum suam prædicata essentialia, nihil contemplando de eorum existentia, aut integritate substantiali, aut entitativa, nam prædicamenta sunt propria metaphysicæ. Metaphysica autem solum agit de prædicatis essentialibus: ergo solum ordinat prædicamenta ex rebus completis essentialiter, & per se, & non curat de aliis rebus, quæ extra essentiam illorum sunt, quare communiter solet definiti, prædicamentum est coordinatio generum, & spe-

ciem, aut prædicatorum essentialium: atqui inter genera, & species nihil reperitur de integritate entitativa, aut substantiali: ergo.

Minor illa in qua est tota difficultas sic probatur, illud est completum essentialiter, cui nihil essentialiter deficit, à quo essentialiter compleatur: sed humanitati Verbi v.g. nihil essentialiter deficit à quo essentialiter compleatur: ergo humanitas est quid completum essentialiter; maior sic probatur, ideo Deus in quantum est completus essentialiter, & homo est ens completum essentialiter, quia illis nihil deficit essentialiter à quo in suis essentiis compleantur, & contra materia prima est incompleta essentialiter, quia illi deficit forma à qua completetur essentialiter: ergo. Minor sic probatur, humanitas quatenus talis est solum deficit suppositaliter: sed hæc non est complementum essentialiter respectu humanitatis, nec convenit ut prædicatum essentialiter, nec est de essentia humanitatis: ergo nihil essentialiter deficit. Probatur hæc minor, terminus alicuius entitatis est extra essentiam rei cuius est terminus, ut videre est in ultimo indivisibili motus, in puncto terminativo lineæ, &c. sed substantia est ultimus terminus humanitatis: ergo substantia non est de essentia, sed extra essentiam rei. Quod probatur sic evidenter, quia Christus in quantum homo fuit completus essentialiter ut talis, & in esse hominis: sed nihilominus illi deficiebat substantia humana, quæ est suppositalitas: ergo substantia non est essentialis homini; probatur hæc consequentia, quia impossibile est quod aliquid sit completum essentialiter cui deficit aliquid essentialiter prædicatum, sed Christo in quantum homo est, deficit substantia humana, & nihilominus essentialiter completus in quantum homo: ergo substantia non est prædicatum essentialiter hominis.

Confirmatur primo hoc, quia de fide constat Christum in quantum hominem non distingui essentialiter, & specie à quocumque alio homine: sed si substantia esset prædicatum essentialiter, Christus essentialiter distingueretur ab hominibus: ergo substantia non est prædicatum essentialiter; sequela sic probatur, quando distinguuntur in aliquo prædicato essentiali, vel quando datur in vno prædicato aliquod essentialiter quod non datur in alio: sed Christus habet substantiam divinam, quæ totaliter, & essentialiter, & omnimodo distinguitur à substantia creata: ergo si per vos substantia est prædicatum essentialiter, aliquod prædicatum essentialiter essentialiter distinctum datur in Christo quod in cæteris hominibus non reperitur: unde necessario distingueretur essentialiter Christus qui est homo à cæteris hominibus, quod est falsum: ergo substantia non est de essentia hominis, ut homo est.

Confirmatur secundo, in hoc distinguitur natura divina à creata, quod de essentia naturæ divinæ est substantia absoluta, si datur & existentia; de essentia autem naturæ creatæ non est nec existentia, nec substantia; unde natura creata non petit essentialiter subsistere in se, sed potest subsistere in alieno supposito, ut humanitas Christi subsistit in supposito divino: ergo substantia non est complementum essentialiter naturæ humane.

Vigetur, quia licet substantia absoluta sit de essentia divinitatis, & Dei, nihilominus substantia

tria relativa, quia est terminus naturæ non est de essentia Dei, quia de essentia termini est supponere constitutam essentiam, & esse extra essentiam, cuius est terminus, non obstante summa identitate, & simplicitate, quæ datur inter naturam divinam, & personalitatem divinam: sed substantia creata, v. g. hominis est terminus naturæ humanæ; ergo à fortiori erit extra essentiam hominis, & non erit complementum essentialiter illius: unde completa essentialiter est natura humana sine sua substantia.

14 Declaratur amplius hoc, quia sicut de essentia Petri non est supposititas eius, ita nec de essentia hominis substantia humana, nec de essentia animalis substantia animalis, & sic de cæteris superioribus, est enim eadem omnium ratio. Item quia quicquid est de essentia hominis est de essentia Petri; ergo è contrario, quicquid non est de essentia Petri non est de essentia hominis: sed de essentia Petri non solum non est hæc substantia humana secundum speciem rationem eius, nam in Christo est tota essentia huius hominis, & non est substantia humana secundum speciem rationem eius creatam; ergo talis ratio substantiæ non est de essentia hominis ut sic; unde hæc abstracta, & concreta licet distinguantur ex natura rei, tamen proprie non distinguuntur essentialiter, seu in essentia, sed in modo quodam terminante, & complemte substantiam, quem includunt concreta, & non abstracta; ergo hæc omnia concreta præter essentiam includunt aliquid, quod proprie non spectat ad essentiam, sed ad complementum talis substantiæ in suo gradu; ergo abstractis quibus deficit illa substantia, nihil essentialiter deficit; ergo sunt essentialiter completa; sicut si homini deficeret anima, quia est prædicatum essentialiter, esset incompletus homo essentialiter, quia deficeret illi aliquid essentialiter, à quo essentialiter constituitur, & completur, quia tamen de facto illi non deficit, est completus ens, unde licet metaphysice destituantur existentia, quia non est essentialis illi, essentialiter completus manet homo.

15 Deinde efficaciter, quia omne prædicatum essentialiter, seu quodcumque prædicatum de essentia rei identificatur realiter, & ex natura rei cum tota entitate rei, ut contra Scotum late probatum manet: sed substantia distinguitur ex natura rei ab humanitate tanquam excludens ab excluso, & ab homine tanquam inclusum ab includente realiter: ergo substantia non est de essentia hominis, quia tota essentia completa manet in sola humanitate; unde si homo est completus essentialiter, & tota essentia consistit essentialiter in humanitate, præcisa substantia manebit completa essentia hominis in humanitate, sicut quia homo est essentialiter completus, & existentia non est de essentia aut manus, seu pedes non sunt de essentia ablata metaphysice existentia, manibus, & pedibus præcisis erit homo essentialiter completus: ergo similiter sine substantia erit completa humanitas essentialiter, quia substantia non est prædicatum essentialiter hominis. Accedit quod prædicata accidentalia absque inherencia, quæ correspondet in substantia substantiis nominibus abstractis significata completam sortiuntur rationem prædicamentalem: ergo & abstracta substantia, cum multo perfectiora, & completiora, ut ita dicam, sint secundum naturam substantialem (ut v. g. in Christo sine substantia

propria) quam natura accidentalis sine inherencia; nec minus inherencia sic de complemento accidentis intra proprium genus, quam substantia de complemento substantiæ, cum utraque rationem vicini termini intrinsece terminantis, & complementis in proprio genere habeat.

Dices humanitatem, & cætera abstracta non esse entia completa, quia sunt partes hominis, & componunt cum substantia concreta; atqui pars est res incompleta: ergo abstracta quæ sunt partes sunt incompleta, & sic directe non ponuntur in prædicamento; hæc solutio est vnicum adversarium præsidium.

Contra quod sic argumentor, quia humanitas, & cætera abstracta, licet substantialiter component, non componunt essentialiter, quia essentialiter sunt completa, & composita essentia, ut iam late probatum, ac demonstratum manet; cum quia illa compositio est extra essentiam naturæ humanæ. Tum quia suppositum non est essentialiter compositum, sed tantum substantiale, nam tota essentia completa in humanitate consistit; unde, ut iam probavimus, tota essentia completa hominis in Christo est, ubi non est substantia humana, quare cum humanitas ante compositionem suppositi sit completa essentialiter, dum componit non potest componere aliquid essentialiter, sed solum aliquid substantiale suppositale, aut personale, & ideo non componit quidditative, & essentialiter: sed solum substantialiter, unde natura solum potest concipi incompleta supposita, integraliter, aut substantialiter, nec tamen debet concipi completa quidditative absolute ac simpliciter: sed prædicamentum constituitur ex completis essentialiter; ergo recte potest prædicamentum constitui ex abstractis substantiabilibus.

Confirmatur, quia compositio humanitatis cum substantia est compositio essentia completa secundum omnia prædicata quidditative ipsius cum modo ex natura rei distincto ab ipsa, ac proinde extra essentiam ipsius existentis: sed talis compositio non arguit rem componentem esse incompletam essentialiter, sed potius supponit esse completam quidditative; ergo ex eo quod humanitas componat cum substantia tanquam cum modo, &c. non debet colligi esse incompletam essentialiter, eo modo quo requiritur ut res ponatur, vel non ponatur in prædicamento. Minor in qua est difficultas sic patet, quia etiam suppositum componit cum creatione, aut conservatione Dei, quæ est modus substantialis in sententia P. Suarez quoddam concretum, quod creatum, seu conservatum dicitur, nam talis actio intrinsece unitur supposito Angelico v. g. quod ex vi talis creationis, aut conservationis creatum, aut conservatum nominatur, (nam sicut substantia Angeli per adhesionem intrinsecam afficit Angelum, ratione cuius unitur per se naturæ Angelicæ, & ex vi talis unionis resultat illud totum subsistens, ita similiter creatio afficit per adhesionem intrinsecam suppositum Angelicum, ratione cuius unitur intrinsece per se tali supposito actio illa Dei conservativa, aut creativa, ex vi cuius unionis resultat totum illud creatum, aut conservatum intrinsece, & nihilominus suppositum quod componit cum conservatione, concretum illud non dicitur incompletum præcise sumptum, & consideratum, & quatenus distinguitur à conservatione, ita ut expellatur à li-

nea recta predicamenti, imo potius ipsum suppositum per se praescindendo à conservatione, ita est completum, ut recte ponatur in linea predicamentali.

- 19 Cuius ratio non est alia, nisi quia tale suppositum componit cum conservatione tãquam cum modo ex natura rei distincto à supposito, ac proinde extra essentiam illius existentis, ratione cuius talis compositio non dicitur essentialis, & ideo non arguit suppositum quod cum illa componit esse incompletum essentialiter, sed potius supponit quidditative esse completum. Et ratio est à priori, quia id quod non est essentialiter, & advenit alicui non potest complere essentialiter illud, sed potius debet supponere essentialiter completum id cui advenit, quia ante ea quae non sunt essentialia praesupponitur essentia ultimo constituta, ut videre est in anima rationali, quae essentialiter praesupponitur iam constituta integre, & adequate quidditative in esse animae ante adventum intellectus, & voluntatis, quia intellectus, & voluntas non sunt formalitates essentialiter animae, sed potius extra essentiam illius, sed actualis conservatio non est de essentia, aut praedicatum essentialiter suppositi quod conservatur: ergo non componit essentialiter cum ipso: ergo tale suppositum non est incompletum essentialiter: sed potius praescindendo à conservatione, ut à modo distincto à parte rei ab ipso, & extra essentiam illius est essentialiter completum, quia modus extra essentiam non arguit incompletum rei, sed potius rem sine tali modo esse completam essentialiter: sed humanitas componit cum subsistentia tãquam cum modo est natura rei distincto ab ipsa extra essentiam illius existentis; ergo talis compositio non arguit in humanitate ipsam esse incompletam essentialiter: sed potius supponit esse quidditative completam.

- 20 Amplius explico hoc, quia suppositum non ponitur in predicamento substantiae, ratione conservationis, sed potius per se ipsum ponitur praescindendo à conservatione, quia praedicamentum substantiae non est praedicamentum in quo est conservatio, praedicamentum enim conservationis est praedicamentum actionis; unde conservatio solum existit in hoc praedicamento, & non in praedicamento substantiae: ergo propter conservationem non est suppositum in praedicamento substantiae, sed potius ratione sui ipsius praescindendo à conservatione.

- 21 Imo concretum ex conservatione, & supposito non ponitur formaliter in predicamento substantiae, sed in predicamento conservationis, hoc est in praedicamento actionis, sicut concretum ex albedine ponitur in praedicamento qualitatibus, & concretum ex substantia, & quantitate per vos, scilicet quantum ponitur in praedicamento quantitatis, & non in praedicamento substantiae; & ideo asseritis accidentia non solum in abstracto, sed etiam in concreto poni in suis praedicamentis: ergo signum est praescindendo à compositione cum conservatione esse completum suppositum, ita ut possit poni in praedicamento substantiae; unde talis compositio nullius momenti est, nec ullo modo impedit ad hoc, ut id quod componit cum tali actione, ponatur vel non ponatur in proprio praedicamento, quia talis res quae huiusmodi compositionem ingreditur, componit non essentialiter, licet à parte rei substantialiter

componat, quia talis modus est extra essentiam suppositi componentis: sed etiam subsistentia non est de essentia naturae humanae cum qua componit, sed potius est extra essentiam illius: ergo compositio illa non impedit quominus humanitas ponatur directe in praedicamento substantiae.

SUBSECTIO I.

Aliae confirmationes ponuntur.

Species Metaphysica est ita quid completum adhuc ratione ut nullus dubitaverit de specie an directe ponatur in praedicamento, quia essentialiter non componit nec ordinatur ad componendum aliquid essentialiter, cum nihil de complemento essentiali deficiat illi, & nihilominus per rationem species componit substantialiter cum individuatione individuum, quod individuum adhuc metaphysice est ens per se substantiale, Petrus enim non est ens per accidens, neque accidentale: sed substantiale per se, & quia haec compositio non est essentialis non definit esse species essentialiter, ac proinde simpliciter, & absolute completa: ergo similiter licet natura abstracta componat cum subsistentia aliquod ens per se, cum hac compositio non sit essentialis, non definit esse ens per se essentialiter, ac proinde simpliciter, & absolute completum humanitas.

Declaratur hoc evidentius, quia Verbum divinum, nec per modum formae verae, & propriae, nec per modum materiae potest ullo modo componere, & nihilominus componit de facto per terminationem Christum, qui est ens per se substantiale, & suppositum humanum, de quo nulla ratio tribuitur ab omnibus Theologis, nisi, quia prima compositio est imperfecta, & petit ut extrema componentia sint essentialiter incompleta, in secunda autem minime, quia prima est essentialis compositio; secunda non est essentialis, ac proinde licet Verbum divinum componat iure, & proprie, & intrinsece non definit esse completum, sed natura humana cum subsistentia non componit primo modo ut vera, & propria forma, aut materia, nec per compositionem essentialiter: sed per compositionem terminativam, hoc est, naturae cum termino, & eo genere compositionis, quo resultavit ex natura humana, & ex Verbo divino Christus, quae secunda compositio est: ergo illa compositio naturae humanae non arguit incompletionem essentialiter in natura humana, siquidem non arguit talem incompletionem in Verbo divino tali modo componente Christum, quare absolute est completa essentialiter natura humana licet componat, cum talis compositio non sit essentialis: sed terminativa.

Dices, ideo non esse Verbum divinum incompletum licet componat, quia est infinitum ens.

Contra primo; nam si compositio illa ex natura sua, & ex se peteret extrema incompleta, Verbum divinum non posset componere media illa compositione; nam Verbum divinum, quia Deus est, & infinitum ens non est capax imperfectionis, quae in compositione petente extrema incompleta reperitur. Imo ideo evidentius ego in isto sic: talis compositio non dicit imperfectionem.

fectionem: nec petit extrema incompleta, siquidem Verbum divinum est capax componendi tali compositione, & ut diximus, Deus est incapax imperf. & onis, nam si Deus licet ens infinitum sit in vestra sententia est capax illius vnionis, quæ ex natura sua, essentialiter, & ex sua essentia petit extrema imperfecta, siquidem incompleta, & ex alio capite Deus non mutat essentias, Deus necessario, licet infinitum ens sit, erit capax illius imperfectionis, quæ necessario, & essentialiter petitur ab ipsa compositione, alias Deus mutaret essentias rerum ut illius vnionis; sicut, v. g. si aliquis diceret, Deus quia infinitum ens est, potest facere peccatum, & potest habere ignorantiam: sed propter talem infinitatem non esset peccator, aut ignorans, quis enim potest tam ignoranter procedere? nam certe dicemus, voluntarie, & inconsequenter proceditis, conceditis primam imperfectionem, licet Deus infinitus sit, & non vultis concedere secundam, licet infinitus sit, certe aut melius diceretis negando tam primam quam secundam imperfectionem, siquidem infinitas utrique opponitur manifeste, aut consequentius procederetis, si postquam imperfectionem primam conceditis, concederetis etiam secundam non obstante infinitate Dei; nam in hoc secundo modo solum vnum ignorantia peccatum committitis concedendo imperfectionem in Deo: primo autem, & ignorantia, & inconsequentia defectu laboraretis sine dubio: totum hoc manifeste, & evidenter convincitur; Verbum divinum, quia est infinitus non est capax compositionis essentialis materie, & formæ, quia secum importat hanc imperfectionem petendi extrema essentialiter incompleta: ergo si Deus est capax vnionis aut compositionis terminationis, ideo est, quia talis compositio non petit talem incomplexionem in extremis: sed potius petit extrema completa essentialiter, imo supponit iam complementum essentialiter in extremis ut distinguatur hæc compositio ab essentiali: ergo falsa est solutio adversariorum; unde si humanitas componit cum substantia ex tali compositione terminativa non debet colligi incomplexum in humanitate: sed potius ut componit tali compositione, debet colligi esse completam essentialiter.

16 Contra secundo, quia humanitas in Christo non est infinita, & nihilominus in tali compositione, ut supra probavimus, manet completa: ergo ratio quare Verbum divinum non est incomplexum, non est, quia est infinitus: sed potius quia talis compositio ex natura sua non petit terminos incomplexos, sed potius extrema completa essentialiter exigit, ergo ex tali compositione in natura si recte syllogisemus, potius complementum essentialiter debet colligi in humanitate.

17 Confirmatur, quia in sententia omnium adversariorum ponuntur prædicata essentialia in prædicamento præscindendo ab existentia: sed existentia est magis intrinseca naturæ quam substantia, cum hæc ex natura rei distinguatur à natura, illa vero non, & existentia complet entitatem, & cum essentia in sententia multorum componitur ens per se metaphysicè: ergo natura à fortiori præscindendo à substantia poterit poni directe in prædicamento.

18 Declaratur in partibus integralibus rei cuiuscumque compositæ, nam pars quantitatis dum

est separata ab alia; & pars aquæ dum dividitur à comparte aquæ est ita completa, ut sine dubio apud adversarios ponatur directe in prædicamento, quia licet componat integraliter, nihilominus, quia talis compositio non est essentialis non est essentialiter pars: sed tantum integraliter, & sic non definit esse essentialiter completa aqua, quæ antea componebat; ergo similiter humanitas cum solum componat integraliter, aut entitative, & non essentialiter, non definit esse absolute, essentialiter, & simpliciter completa; unde recte in prædicamento collocabitur.

SUBSECTIO III.

Proponuntur 2. 3. 4. & 5. argumentum.

Secundo probatur: linea quæ est species quæ. 19
Stitatis in sententia adversariorum adhuc considerata sine indivisibilibus ultimis, & corpus sine superficie terminativa, & terminis illorum, essent in prædicamento directe, & essent entia completa essentialiter, quia non complentur essentialiter per illa indivisibilia, nam ultima indivisibilia cum sint termini non sunt de essentia lineæ, nec corporis, quia terminus est extra essentiam rei cuius est terminus; ergo similiter natura humana sine substantia quæ est terminus illius, ac per consequens extra essentiam naturæ humanæ erit ens completum, & directe collocabitur in prædicamento.

Tertio, supremum genus prædicamenti substantiæ, v. g. substantia completa est norma, & regula ad cætera quæ debent poni in ipso substantiæ prædicamento, iuxta illud Aristotelis, quod est primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum; sed illud supremum genus ponitur in abstracto, nam illud caput non est ens substantiale sub hoc nomine quod est concretum; sed sub hoc substantia completa quod est abstractum, quod patet, quia nullum concretum prædicatur de abstracto ut de se patet: sed in hac propositione humanitas Christi est substantia essentialiter completa, prædicatur illud caput prædicamenti de abstracto illo humanitatis: ergo illud est abstractum; ergo cætera, quæ ponuntur in prædicamento potius debent poni sub illo ut abstracta, quam concreta, & concreta sub hoc nomine entis substantialis, aut entis per se completi, concretum enim concretorum est caput, & abstractum abstractorum.

Quarto, quod est prædicabile de pluribus differentibus specie vere, & formaliter, & quod est iure, & formaliter prædicabile de pluribus differentibus numero in eo quod quid sunt vera genera, & species, & quæ sunt vera genera, & species vere, & directe ponuntur in prædicamento, quia prædicamentum nihil est aliud, quam generum, & specierum coordinatio: sed animalitas prædicatur vere, & formaliter de humanitate, & equitate, & humanitas, & equitas distinguuntur specie. Item humanitas prædicatur de hac, & illa humanitate in eo quod quid, & essentialiter, ut questione ultima Universalium in communi, meo videri, evidenter manet demonstratum: ergo animalitas est verum genus, & humanitas vera species; ergo directe ponuntur in prædicamento hæc abstracta.

X x x

Confin

32 Confirmatur, quia omne quod est essentialiter completum est sub aliquo genere, & sub aliqua specie, sed abstracta sunt essentialiter completa, cum non abstrahant ab aliquo predicato essentiali, sed à termino extra essentiam: ergo sunt sub genere, & specie inter quæ datur supremum genus; ergo sunt in ordine prædicamentali; maior est clara, nam ideo Petrus est sub specie hominis, & homo sub genere animalis, & utrumque sub supremo genere, ex quibus omnibus fit prædicamentum substantiæ, quia sunt entia per se completa: sed humanitas, &c. sunt entia per se, & non per accidens completa essentialiter; ergo directe ponuntur in prædicamento.

33 Quinto, Christus ut homo est in prædicamento substantiæ directe per vos, sed non ponitur ratione divinitatis, cum nec Deus, nec Verbum divinum, in sententia adversariorum, collocetur in prædicamento; alias si propter divinitatem Christus poneretur in prædicamento, à fortiori deberet poni ipse Deus iuxta illud propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo directe ponitur propter humanitatem, quia in Christo non est aliud propter quod ponatur nisi Verbum divinum, & humanitas; non propter primum: ergo propter secundum: sed illud est abstractum: ergo abstractum ponitur directe in prædicamento.

SECTIO III.

Ostenditur secunda conclusio.

34 **S**ecunda conclusio: abstracta accidentium, v.g. quantitas, &c. ponuntur directe in prædicamento. Hæc est clara sententia Aristotelis, qui secundum communem translationem numerat prædicamenta in abstracto, dicendo substantia, quantitas, qualitas, relatio, &c. ergo recte ponuntur in abstracto.

35 Secundo probatur ratione, illa ponuntur in prædicamento directe quæ possunt essentialiter, & complete de suis inferioribus prædicari ut genera, & species: sed hæc sunt veræ prædicationes superiorum generum de inferioribus speciebus potentia est qualitas, corpus est quantitas, albedo est color, paternitas est relatio: ergo abstracta ponuntur directe in prædicamento.

36 Dices accidentia in abstracto esse incompleta essentialiter, ac proinde non posse directe poni in prædicamento.

Sed contra manifeste, quia si accidentia in abstracto essent incompleta essentialiter, & solum existerent essentialiter completa in concreto vel completerentur per inhærentiam ad subiectum, vel per ipsum subiectum solum, enim hæc adduntur accidentibus dum in concreto sunt: sed per neutrum possunt essentialiter compleri: ergo ex se sine subiecto, & inhærentia sunt essentialiter completa: sed accidentia sine subiecto, & inhærentia sunt in abstracto: ergo accidentia in abstracto sunt essentialiter completa.

37 Minor illa quantum ad inhærentiam sic probatur, quia inhærentia actualis est modus ex natura rei distinctus à tota essentia accidentis; unde talis inhærentia est extra essentiam accidentis, & per consequens non est prædicatum essentialiter illius, nec de essentia eiusdem; alias non possent accidentia separata existerere ab actuali

inhærentia in Eucharistia, quod est omnino falsum ut definit Concilium Tridentinum, quia nihil potest esse, & separatim existerere sine prædicatis essentialibus, & divisum à constitutivis, & completivis essentialiter, ut videre est in homine, qui adhuc divinitus nullo modo potest existerere separatim à prædicato rationalitatis, &c. & ratio est quia tale prædicatum complet essentialiter essentiam hominis, sine quo talis essentia esset incompleta essentialiter: sed accidens existit in Eucharistia separatim ab actuali inhærentia: ergo actualis inhærentia non est de essentia accidentis, neque complet quidditative essentiam illius; ergo accidens præcisa inhærentia ad subiectum manet essentialiter completum: ergo in abstracto est completum essentialiter.

Item, quia inhærentia est conditio accidentis; ad existendum, datur enim inhærentia ut tenuis, debilis, & imperfecta natura accidentis existat, & conservetur in existendo: sed illud quod tantum est conditio existendi non potest esse complementum essentialiter, ergo inhærentia quæ talis est non complet essentialiter accidens. Maior est certa: nam eo modo se habet substantia respectu accidentis, quo se habet inhærentia respectu substantiæ: sed substantia est modus existendi per se in substantia: ergo inhærentia est modus, quo existit accidens in alio, ac proinde est modus existendi.

Minor sic probatur, quia quando aliquod prædicatum est extra essentiam rei, neque tale prædicatum complet essentialiter illam, modus talis prædicari non potest esse de essentia illius rei, nec potest vlllo modo essentialiter complere illam: sed potius est omnino extra essentiam eiusdem rei, ut videre est in figura, quæ quia est modus quantitatis non potest esse de essentia substantiæ, quia quantitas cuius modus est, est extra essentiam illius, quod evidenter patet in inhærentia, quæ nullo modo est de essentia substantiæ, quia accidens cuius modus est, est extra essentiam substantiæ absolute, ac simpliciter. Et ratio à priori est, quia accessorium sequitur naturam sui principalis.

Atqui existentia nullo modo est de essentia accidentis, neque complet essentialiter illud: sed potius est extra essentiam ipsius: ergo actualis inhærentia, quæ est modus talis existentie non potest esse de essentia accidentis, neque complere quidditative illam: sed potius est omnino extra essentiam illius.

Deinde, quia eo modo est medium ad aliquem finem, quo est finis ad quem tale medium per se ordinatur: sed finis illius actualis inhærentiæ non est essentia accidentis: sed existentia illius, (loquor enim de fine proximo, & immediato) & existentia non est de essentia accidentis: ergo neque inhærentia, quæ est medium ordinatum, ad talem existentiam.

Secunda pars illius minoris quoad subiectum adeo evidens est, ut nulla indigeat probatione, quia substantia non est, de essentia accidentis, alias substantia esset incompleta essentialiter, v.g. Angelus, & homo quæ sunt subiecta accidentium quod est falsissimum; & deinde patet hoc omnibus argumentis nuper positis de Eucharistia: ergo sine subiecto, & inhærentia accidens est completum essentialiter, ac proinde in abstracto; unde patens, & apertum est accidentia in abstracto non esse incompleta.

Præterea

- 43 Præterea, quia illud de quo univoce, & æqualiter cum alijs completis prædicatur aliquod ens completum est perfecte, & proprie completum: sed de quantitate, quæ est in Eucharistia sine in hærentia, & de alia quantitate in hærentia æqualiter prædicatur accidens completum, & quantitas ut sic completa, nam hæc est vera prædicatio, quantitas Eucharistiæ est quantitas, & accidens completum; ergo quantitas in abstracto, & cætera ut sic accidentia sunt entia completa.
- 44 Tertio, quia abstractum significat naturam accidentalem per modum per se stantis, ac existentis: ergo tanquam unum quid per se, & prædicamentale; ergo tanquam quid completum per se, ergo potest sic poni in prædicamento.
- 45 Confirmatur, quia abstractum accidentis v.g. quantitas, vel qualitas est totum potentiale perfecte definitibile, & prædicabile, & intra proprium genus non ordinatur ad componendum aliquod unum essentiale per se, sed tantum accidentale per se: ergo illud potest per se directe poni in prædicamento; patet consequentia, quia prædicamentum nihil aliud est, quam quadam recta completorum prædicatorum coordinatio; ergo cum respectu abstractorum dentur perfecta prædicabilia, & subijcibilia superiora, & inferiora, non est unde repugnet hæc prædicamentalis coordinatio. Declaratur, quia prædicamenta sunt ad reducenda entia per se ad certas classes, quibus clare cognoscantur talia entia per se: atqui abstracta sunt entia per se v.g. albedo, & quantitas; ergo debent reduci directe ad classes, & prædicamenta ut sic ordinata cognoscantur.
- 46 Ultimo omnia argumenta de abstractis substantiarum possunt applicari ad accidentia, quæ hic, sicut ibi suam vim servant.

SECTIO IV.

Ultima conclusio proponitur, & probatur.

- 47 Ultima conclusio: concretum substantiale ex natura, & suppositivitate directe ponitur in prædicamento, ut v.g. homo, animal, vivens, &c. Item concretum accidentis v.g. quantum, ponitur in prædicamento directe. Prima pars conclusionis admittitur ab omnibus Doctoribus, quod his Verbis tradit P. Suarez in metaphysica 10.2. disp. 34. sect. 8. num. 12. Ultimo licet ex dictis colligere quæ res constituentur in prædicamento substantiæ, & quo modo; primum enim veluti fundamentum, & basis illius prædicamenti est suppositum, seu prima substantia creata (nam increata non collocatur in prædicamento, ut ex his, quæ de ente per essentiam diximus constare potest) & ideo ab Aristotele prima substantia dicta est, præcipue, & maxime substantia; supra illam vero in recta linea collocantur species eius, & genera usque ad supremum, eo quod sint etiam completæ substantiæ ut supra vidimus, quia dicunt integram naturam substantiæ cum modo subsistendi, & per modum totius, solumque differunt in maiori vel minori abstractione, seu in modo magis confuso, vel distincto concipiendi ipsam integram substantiam; sic ille. Quam etiam sententiam affirmat P. Rubius his Verbis in Logica cap. 4. de incomplexis, quæst. 2. in principio; de his quæ pertinent ad prædicamentum substantiæ certum est sub nominibus concretis collocanda esse in prædicamento, R.P. Ideph. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

P. Hurtado in metaphysica disp. 9. sect. 3. §. 15. his Verbis: percurramus prædicamenta, primum est substantia, hoc nomen participant substantiæ simplices completæ, ut Angelus, de quo non dubium quin spectet ad hoc prædicamentum; item substantiæ completæ compositiæ ut homo, & Leo habent hanc rationem, eademque pertinent ad hoc prædicamentum. Itaque tota ratio huius est, quia ex suppositivitate, & natura resultat unum totum per se substantiale completum, quod suppositum vocatur; ergo per se ponitur in prædicamento substantiæ.

Ut autem secunda pars conclusionis, quæ agit de concreto accidentis intelligatur, adverte bifariam posse sumi huiusmodi concretum, primo modo sumitur quatenus ex natura accidentis, & in hærentia ipsius resultat unum ens quod ratione in hærentiæ connotat subiectum, & de hoc concreto nullo modo verificantur prædicationes illæ album est dulce, dulce est album, quia directe minime subiectum, sed solum accidens significatur, ut de se patet.

Secundo modo sumitur concretum accidentis, quatenus resultat ex subiecto, & forma accidentali, sive directe, sive indirecte subiectum significatur, de quo vide Hurtado disp. 9. metaphysica, sect. 3. in fine.

Si primo modo sumatur concretum directe ponitur in prædicamento, probatur sic primo, quia concretum ex substantia, & ex ultimo termino ipsius, qui est substantia modalis, nempe subsistentia, ponitur in prædicamento directe; ergo similiter concretum ex entitate accidentis, & ex termino proprio talis entitatis pertinente per se ad illam, in hærentia scilicet, ponitur in prædicamento directe. Hæc consequentia sic probatur, ideo illud concretum ponitur directe, quia licet substantia in abstracto sit completa essentialiter, nihilominus, quia per illum terminum completur entitativa, & sit substantia absolute, & omnimodo completa habet conditionem perfectam ut in sede prædicamentali collocetur, sed etiam entitas accidentis, licet ex se sit essentialiter completa in abstracto, completur nihilominus entitative per in hærentiam absolute, quia in hærentia pertinet per se ad esse accidentis, nam sicut se habet substantia ad substantiam, sic se habet in hærentia ad accidens in ordine ad existendum; ergo concretum ex illa, & ex accidente ponitur directe in prædicamento, sicut concretum ex substantia, & ex suppositivitate.

Præterea, quia ex duabus rationibus eiusdem rationis coalescit unum ens per se ponibile directe in prædicamento: sed in hærentia, & entitas accidentis sunt eiusdem rationis: ergo concretum ex eis directe, & per se ponitur in prædicamento.

Deinde, quia modus in hærentiæ pertinet reductivè ad illud prædicamentum accidentis, ubi per se ponitur illud accidens, quod completur: ergo accidens provt in hærens, & quatenus provt sic completum per se ponitur in prædicamento, & consequenter ut tali modo concretum, quia concretum accidentis in ista prima consideratione importat solam formam accidentalem provt in hærentem, & sic completam; antecedens est clarum, consequentia probatur, quia illud quod ponitur reductivè in prædicamento supponit aliud, quod ponatur per se in tali prædicamento, cuius ipsum sit complementum vel modus afficiens: sed in hæ-

X x x 2 xentia

rentia est complementum, & modus afficiens accidens pro ut in concreto, quia in abstracto potius significatur ut per se stans, & in concreto ut alterum afficiens eique inherens: ergo si modus inherens completens accidens reductively pertinet ad predicamentum; accidens in concreto pro ut tali modo inherens completum directe, & per se pertinebit ad predicamentum.

- 53 Confirmatur, quia substantia reductively pertinet ad predicamentum substantiae tanquam ultimum complementum eius in esse substantiae suppositum constitutum ex ipsa, & natura humana pro ut sic completa, colligitur evidenter poni directe in predicamento substantiae: ergo similiter quia inherens pertinet reductively ad predicamentum, colligitur evidenter accidens completum per illam directe poni in predicamento.

- 54 Ultimo applicatur immutata paululum ratio supra facta, quia Christus Dominus in quantum homo ponitur per se directe in predicamento substantiae, quia licet in quantum homo in concreto importet substantiam divinam, quae nullo adstringitur predicamento, id tamen est de materiali, & in obliquo ut supra diximus: sed accidens in concreto in ista prima consideratione subiectum importat solum de materiali, & in obliquo; ergo hoc non obstat quominus per se ponatur in predicamento (loquor enim in sententia illorum, qui dicunt subiectum accidentis impedire esse directe in predicamento) quia non minus impedimentum est quod connotatum pertineat ad aliud predicamentum, quam quod connotatum ad nullum possit spectare, & in nullo possit directe collocari.

- 55 Confirmatur, ex potentia per se, & actu per se componitur unum ens per se, ut docet Aristoteles 2. lib. de anima, tex. 2. sed entitas accidentis se habet ut potentia, & inherens ut actus per se illius potentiae accidentis; ergo ex illis resultat unum ens per se completum, sed in predicamento collocatur directe entia per se completa; ergo concreta ex accidenti, & modo inherens collocantur per se in predicamento.

- 56 De secundo concreto probatur poni directe in predicamento his rationibus, primo, quia si propter aliquam rationem excluderentur talia concreta a predicamento, maxime quia sunt entia per accidens, sed ut supra disputatio de genere, questione quod sit definitum in definitione generis demonstratum manet tale concretum licet sit ens per se accidentale non esse ens omnino per accidens seu aggregationis; ergo non debet expelli a predicamento tale concretum v.g. album ex albedine, & ex subiecto coalescens.

- 57 Secundo, quia quidquid habet rationem generis, & speciei ponitur directe in predicamento: sed concreta accidentium v.g. coloratum, quantum, relatum, album habent rationem generis, & speciei; ergo ponuntur directe in predicamento: probo minorem, nam secundum communem omnium sententiam non solum albedo ut sic respectu huius, & illius albedinis; sed etiam album respectu huius, & illius albi saltem reduplicative sumpti est vera species, quia de illis ut de numero distinctis complete praedicatur in quid, & non solum color ut sic in ordine ad albedinem, & nigredinem, sed etiam coloratum in ordine ad nigrum, & album habet rationem generis, quod de illis praedicatur in quid; ergo.

- 58 Tertio, quia perfectius ponuntur res secundum

modum essendi sibi connaturalem in predicamento, quam secundum non ita proprium, & connaturalem, & ideo licet substantia ponatur in abstracto in predicamento ut probavimus, perfectius tamen ponitur in concreto, quia hoc modo potius quam illo sunt naturaliter, & conservantur res; ergo similiter accidentia licet ponantur directe in predicamento in abstracto, perfectius ponentur, aut collocabuntur in concreto, quia magis connaturalis modus existendi accidentis est in concreto quam in abstracto propter imperfectionem illius.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

AD Verba P. Suarez respondetur negando h. 59 **A**manitatem, seu quodecumque abstractum esse incompletum, & secundum quid substantiam; sed potius dicendum est esse substantiam essentialiter, & simpliciter completam, & tantum secundum quid incompletam, quod non tollit poni directe in predicamento.

Ad primum argumentum, nego maiorem; ad probationem concedo maiorem, & ad minorem dico, quod licet non possint vnica coordinatione tam materialiter, quam formaliter ordinari concreta, & abstracta, bene tamen possunt vnica formalis coordinatione disponi; dico formalis, quia materialis est divisio linearum intra eandem rationem secundum abstractum, & concretum; unde potius duae lineae eiusdem praedicamenti, quam duo praedicamenta dicenda sunt, quae duae lineae non specie, sed numero intra idem praedicamentum distinguuntur, v.g. in qualitate possunt duae lineae disponi, alia abstractorum, & alia concretorum, quae distinctiones cum non sint distinctorum generum, coordinationes non constituunt distincta praedicamenta, sed unum tantum cum duabus lineis materialiter, aut numerice distinctis, distinctio enim numerica materialis dicitur, formalis autem specifica, aut generica; unde cum illae duae lineae intra idem praedicamentum non sint genere, aut specie distinctae, non formaliter, sed materialiter distinguuntur. Quod autem detur ista distinctio linearum intra idem praedicamentum nullum inconveniens est, imo maxime consonat menti Aristotelis, ut videre est in praedicamentis accidentium, quae nunc in abstracto, & postea in concreto ab Aristotele secundum varias translationes numerantur, esset autem inconveniens, si praedicamenta multiplicarentur genere distincta, quod non convincit argumentum; nam eo modo sunt coordinationes, quo sunt res coeordinate, sed abstracta, & concreta substantiae non distinguuntur formaliter genere, aut specie, sed tantum numero, & integraliter, aut secundum quid; ergo lineae ex illis non sunt formaliter, sed tantum materialiter distinctae; atqui praedicamenta inter se debent distingui genere; ergo tales lineae potius faciunt unum praedicamentum quam duo.

Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem, nam ut supra manet probatum, animalitas praedicatur ut verum genus de humanitate, & equinitate.

Ad primum secundae sententiae nego maiorem, 61 nam ex illo argumento colligeretur solum unum praedicamentum accidentis dari, quod est absurdum;

dom; nam si prædicamentum constituitur ex modo prædicandi de substantia, & in omni accidenti per vos non datur nisi vnus modus prædicandi: ergo solum vnum prædicamentum datur; ponuntur ergo accidentia in prædicamento quatenus induunt diversam rationem generis, & speciei, & prædicantur de inferioribus essentialiter, cum autem tam in abstracto, quam in concreto sint genera accidentium vtroque modo ponuntur directe in prædicamento.

63 Ad secundum respondeo negando necessario debere poni accidentia secundum modum, aut nomen quo magis explicatur natura ipsius, nam licet perfectius sic ponantur vt diximus in vltima conclusione, & vltima probatione, nihilominus bene possunt poni secundum nomen, quod licet non tam perfecte, tamen recte explicat accidentia secundum conditiones requisitas ad essendum in prædicamento, quales sunt vt sit ens completum per se, cum vero albo hoc nomine significetur secundum has conditiones, licet non tam perfecte, bene tamen collocantur in prædicamento.

64 Ad argumentum vltimæ sententiæ respondetur concedendo maiorem, & negando minorem vt patet ex dictis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus ponatur directe in prædicamento?

SECTIO I.

Sententiæ aduersariorum probantur.

PRIMA sententiæ asserit Deum directe in prædicamento debere collocari, ita Gabriel in 1. dist. 8. quæst. 1. Gregorius, Robertus, Holcot, Marfilus, quibus faver non vltimè P. Hurtado in Metaphysica, disp. 9. sect. 4.

Probatur primo hæc sententiæ auctoritate Divi Augustini, sermone 3. in octavam Epiphaniæ, vbi docet quod decem categoriæ, quæ latine prædicamenta dicuntur de Deo in divinis literis, quædam proprie vt substantia, & relatio, quædam vero secundum metaphoram, & tropum vt habitus, & dispositio. Damascenus etiam videtur favere huic sententiæ lib. 1. de fide, cap. 9. vbi relationem proprie de Deo dici affirmat, nam Deo ita tribuit nomina filiationis, & paternitatis, vt hæc prædicata non à creatis translata fuerint ad Deum: sed potius è contrariis, quod probat ex illo Ad Ephesios 3. ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur; capite autem 7. post quam dixit essentiam, quam alij dicunt substantiam esse supremum genus ait, huius autem summi generis species sunt primum id quod corpore vacat, & paulo post, complectitur enim ait essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, & demonem.

Secundo probatur auctoritate Aristotelis 4. Topic. cap. 2. loco 17. vbi ait Deum comprehendi à genere animalis, differreque ab homine per differentiam immortale, homo enim inquit est animal mortale, idem vivit, & moritur, Deus autem

sempiternum, & immortale animal.

Etiam Porphyrius collocat Deum in prædicamento substantiæ sub genere animalis rationalis cap. de specie, & cap. de differentia.

Tertio, ratione sic probatur, quia illud quod sub genere substantiæ collocatur, reperitur directe in prædicamento: sed Deus collocatur sub genere substantiæ; ergo Deus directe ponitur in prædicamento; minor sic probatur, illud de quo aliquod genus prædicatur sub tali genere collocatur, v. g. quia de homine prædicatur animal, homo collocatur sub genere animalis: sed de Deo prædicatur essentialiter genus substantiæ; ergo sub genere substantiæ collocatur Deus.

Quarto, quia si aliquid repugnaret quominus Deus collocaretur in prædicamento maxime simplicitas divina, nam omnia quæ sunt in prædicamento debent esse composita ratione: sed compositio rationis, quæ non iure compositio: sed constitutio dicenda, non repugnat simplicitati divinæ, quia solum est extrinseca denominatio ex solo modo nostro concipiendi; vnde sicut distinctio rationis non repugnat perfectæ, & summae identitati, ita nec compositio rationis simplicitati; ergo.

Quinto, quia si daretur quantitas, aut qualitas infinita directe collocaretur in prædicamento quantitatis, & qualitatis: ergo licet Deus sit infinitus, bene potest poni in prædicamento substantiæ, cum non detur maior ratio de vno prædicamento, quam de alio, nec de vno infinito potius, quam de alio.

SECTIO II.

Nostra sententiæ auctoritate probatur.

CONCLUSIO: Deus non ponitur directe in prædicamento substantiæ. Hæc est communis inter Doctores sententiæ, & probatur.

Primo auctoritate Divi Augustini libro de decem categoriis; vbi sic ait in principio capitis 8. eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut vnam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut vbi, aut quando, aut habere: hæc sunt categoriæ decem, quarum prima vna est, scilicet quæ novem cæteras sublinet; reliquæ vero novem οὐ μετέχουσαι, id est accidentia sunt. Ex quibus novem sunt alia in ipsa vna, alia extra vnam, &c. Tunc sic, Sanctus Augustinus docet primum prædicamentum substantiæ, & quidquid est in ipso, aut sub ipso sublinere, & recipere in se accidentia cæterorum prædicamentorum, vt qualitatem, vbi, &c. quod assumpsit ex Aristotele, qui cap. de substantia ait substantiam prædicamentalem sublinere accidentibus, & à tali munere sublinendi denominari substantiam: atqui Deus nullo modo substat accidentibus, nec illis subiicitur vt expresse docet ipse Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 2. ibi est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσία vocant, sicut enim ab eo quod est sapere, dicta est sapientia, & ab eo quod est scire, dicta est scientia est, ita ab eo quod est esse, dicta est essentia.

Et quis magis est, quam ille, qui dixit famulo suo Moysi, ego sum qui sum, & dices filiis Israël,

X x x 3 qui